

94 SATANÆ STRATAG.  
insolentiæ vix, ac ne vix quidem possis.

Hæc si quis assiduè meditatus fuerit, si in ijs  
animum diligenti studio exercuerit: næ ille,  
nisi fallor, disceptator euaserit, qui pullulan-  
tibus erroribus ratione resistat, commodissi-  
mus, de qua cum fatis multa dicta sint, de Au-  
thoritate deinceps est dicendum.



SATANÆ STRATA-  
GEMATVM

LIBER III.

**C**VM Authoritatē qua erroribus fal-  
sisque dogmatibus resistitur, aliam  
Ecclesiæ dixerimus esse, aliam ciui-  
lis Magistratus: de Ecclesia dicamus  
prius. Ergo si quis ea doceat quæ à Sanctarum  
literarum doctrina abhorreant, quominus ea  
inualeant, duo designare potest Ecclesia: vt  
Dogma ceu erroneum impiumque damnet: &  
vt hominem ab reliquo Ecclesiæ corpore,  
quasi aridum ramum amputet: in quibus tri-  
fariam peccari potest.

*Ecclesiarum  
Censores pru-  
dentes esse  
debent.*

Primum quidem, si iniquè damnetur siue  
dogma, siue homo: deinde, si id fiat aliter,  
quàm par sit: tum autem, si id fiat à quibus non  
debet fieri. Iniuste quidē primum damnatur  
aliquid,